MATUTINALE CUM DIURNALI ATQUE MISSALE CISTERCIENSE
Stams, 3. Viertel 14. Jh. Seite 332r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster





et extersit pedes eius capillis suis cuius frater lazarus infirmabatur
Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes Domine ecce quem amas infirma
tur Audiens autem ihesus dixit eis Infirmitas hec non est ad mortem
sed pro gloria dei ut glorificetur filius dei per eam Diligebat autem ihesus mar
tham et sororem eius mariam et lazarum Ut ergo audiuit quia infir
mabatur tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus Deinde
post hec dicit discipulis suis Eamus in iudeam iterum Dicunt ei disci
puli Rabbi nunc querebant te iudei lapidare et iterum uadis illuc
Respondit ihesus Nonne duodecim hore sunt diei Si quis ambulat
in die non offendit quia lucem huius mundi videt Si autem ambulauerit
in nocte offendit quia lux non est in eo Hec ait et post hec dicit eis
Lazarus amicus noster dormit sed uado ut a sompno excitem eum Dixerunt
ergo discipuli eius Domine si dormit saluus erit Dixerat autem ihesus de morte
eius illi autem putauerunt quia de dormicione sompni diceret Tunc ergo di
xit eis ihesus manifeste Lazarus mortuus est et gaudeo propter uos ut creda
tis quoniam non eram ibi Sed eamus ad eum Dixit ergo thomas qui dicitur di
dimus ad discipulos Eamus et nos et moriamur cum eo Venit itaque
ihesus et inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem Erat autem betha
nia iuxta ierusalem quasi stadiis quindecim Multi autem ex iudeis venerant
ad mariam et martham ut consolarentur eas super fratre suo Martha autem ut
audiuit quia ihesus venit occurrit illi Maria autem domi sedebat Dixit ergo
martha ad ihesum Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus Sed et
nunc scio quia quecumque poposceris a deo dabit tibi deus Dicit illi ihesus
Resurget frater tuus Dicit ei martha Scio quia resurget in resurrectione
in nouissimo die Dicit ei ihesus Ego sum resurrectio et vita Qui credit in
me etiam si mortuus fuerit uiuet et omnis qui uiuit et credit in me non
morietur in eternum Credis hoc Ait illi Utique domine Ego credidi quia